

Verum Deus elusit cautionem et prudentiam Philistinorum, dum per Samulem Hebraeis dedit victoriam sine ferro et armis ferreis. Unde S. Gregorius: « Armati, ait, ab inermibus victi sunt, ut totum quod vincitur, omnipotentis Dei laudibus tribuatur. »

Mystice, « faber » est orans et meditans, qui solite discursus sui officina ferraria, id est, in meditatione excitat ignem devotionis et charitatis, juxta illud: « In meditatione mea exardescet ignis. » Audi F. Bartholomæum *De Martyr.* archiepiscopum Braecarensem in insigni suo doctrinae spiritalis compendio, cap. xxvii, pag. 283: « Faber ferrarius, igitur ferrum de igne extrahens, icibus molire satagit: sed antequam penitus frigescat, ad ignem rediit, ut iterum faciliter ignescat; sic etiam spiritus noster a fervore devotionis extractus et occupationis terrenae icibus percussus, ne omnino frigescat atque induretur, ad fornicem devotionis est reducendus. Nam qui studioso curant devotionem nutrire quotidie, facile conservant ac teneant; si vero, licet paucissimis diebus, ab officio recedant, difficulter ad exercitium interioris fervorem redire solent. Quapropter illud maxime curandum est, ut orationis assiduitate cor semper Deo pateat. »

Tropologicè, « faber ferrarius » est prædicator, præceptor, et quisvis alius castigator vitiorum: hunc tollere conantur « Philistei, » id est, demones, ut homines inermes eorum tentationibus resistere nequeant. Audi B. Petrum Damianum, lib. I, *epist.* 18, quæ ordine est 106: « Spiritus quisquis conventus, si fratrem zeli frequenti correptione non utitur, Israeliticæ plebis mystica laborat inopia; quæ videlicet incipiente Saul regis imperio, fabrum ferrarium non habebat. » Et paulo post: « Philistei, inquit, de terra Israel fabros ferrarios tollunt, cum maligni spiritus, falsæ pietatis obtentu zelum correptionis de fratrum labiis auferunt. » Causam subjicit: « Sicut ferrum reliqua metalla fortiter edomat, ita correptionis malleus vitia delinquentium reprimat, et quasi eundem rigide mentis duritiam frangit. » Ex quibus concludit: « Si de sacro conventu correptionum censura subtrahitur, discipline vigor funditus enervatur, et religio tota destruitur; quia dom unusquisque propriæ sequitur voluntatis arbitrium, ad secularia rediens, spiritualis observantia violat institutum. » Deinde ad proximum quoque hoc pium dat monitum: « Unde quisquis est, cui regularis vite fervor inæstuat, correptiones libenter amplectitur: et tunc etiam, cum innocens est, suis reprehensionibus delectatur: non, ut eum conscientia peccasse remordeat; sed quoniam hoc prodesse cæteris audientibus sperat; ut unde ipse innocens, et mundus arguitur, alii qui vel lapsi, vel lapsuri forte sunt, corrigantur. »

Nam ut ait Ecclesiastes, cap. xii, vers. 11: « Verba sapientum sicut stimuli, et quasi clavi in altum

defixi, quæ per magistrorum consilium data sunt a pastore uno. » Hinc et illud *Jeremia* xliii, 29: « Numquid non verba mea sunt quasi ignis et quasi malleus conterens petram? » S. et S. Gregorius, Eucherius, Beda, Hugo, qui et addunt demonem adimere fidelibus « fabros ferrarios, » id est bonos predicatores, vitiorum castigatores, cum facit ut ipsi subtilia, philosophica, poetica vana, elegantia et placencia populo prædicent, ac plausum populi quærant, non planetum, ut ait S. Bernardus.

Rursum, « fabri ferrarii » sunt magistri et doctores qui docent philosophiam, rhetoricam, mathesin, poesin, etc., quæ fidei et doctrinae sacrae subserviunt, ut eam contra hæreticos, Gentiles et impios defendant. Hos auferit Satanas, dum satagit ut Religiosi, Clerici et Sacerdotes iis non studeant, sed indocti otio torpeant: inde enim orta fuit hæresis Lutheri et posteorum ejus, æque ac priscorum hæreticorum. Ita S. Gregorius et Cyrillus Alexandrinus, lib. VII *Contra Julianum*.

Denique, « arma ferrea » sunt mortificationes et penitentia, quibus concupiscentia carnis refunditur et confunditur.

21. RETUSÆ ITAQUE ERANT ACIES YOMERUM, — Vers. 21. quia continua aratione sulcando terram, ejus resistentia et renitentia retundebantur et hebelabantur; ac Hebraeis difficile erat, ad eas accendas, toties ire in Philistiim.

USQUE AD STIMULUM CORRIGENDUM, — quasi dicat: Adeo retusæ erant acies instrumentorum horarum, ut ne exiguus quidem stimulus quo boves pungerentur, superasset, qui non esset hebelatus; ideoque corrigi et acui debet. Ita Lyranus. Aut eum Abulensis refer hæc superius ad vers. 20: « Descendebat ergo omnis Israel ad Philistiim, ut aceret unusquisque vomerem suum et ligonem, etc., usque ad stimulum corrigendum, » q. d. Non tantum ad majora instrumenta accenda, sed etiam ad minimos stimulos corrigendos et accendos, oportebat ire in Philisteam, quia in Israel non erat faber, qui eos aceret.

22. CUMQUE VENISSET DIES PRAELII, NON EST INVENTUS EXSIS. — Vers. 22. Populus ergo et milites sequentes Saulem armabantur arcibus, fundis (Gabaasita enim erant optimi fundibularii, ut patet *Judic.* xx, 46), peticis, fustibus, ut dixi versu 3; hæc enim sunt arma rusticana et prisca: item ligonibus, falsibus, tridentibus, stimulis, malleis, securibus, serris, baculis sive flagellis, quibus triturantur et excutiantur frumenta, cæterisque instrumentis rusticanis: ac forte ea igne liquando conflabant in peticas, pugiones et gladios, sed rudes et impolitos, juxta illud Virgilio:

Et curvæ rigidum falces conflantur in enses.

Sic Samgar judex vomere aratri occidit sexcentos Philisteos, *Judic.* iii, 31. Et Samson, carens ense, mandibula asini occidit mille viros, *Juic.*

cap. xv, 43. Ex quibus liquet antiquam fuisse hæc Philistinorum cautionem, ne Israelite haberent arma et fabros ferrarios.

EXCEPTO SAUL ET JONATHA. — Mystice Dionysius Carthusianus: « Prælati, ait, et eorum Vicarii debent tantæ esse perfectionis, quod quantum cumque subtili spiritualibus armis priventur, et passionum immoderantis agitentur, ipsi tamen in omni virtute, in rationis splendore, in luce sapientia perseverant firmissime et mala vincant in bono, suaque probitate, aliorum defectuositas reprimant ac reformant, quoniam ipsi sunt velut mensura et regula subditorum. »

Porro Hebraei dicunt vel fingunt Sauli et Jonathanæ allatos esse hos enses caelitus ab angelis. Plinius

Deus ipsos hos enses occulasse, vel occulasse sibi et locis vicinis comparasse.

23. EGRESSA EST ACIES STATIO PHILISTINORUM, — UT TRANSCENDERET IN MACHMAS. — Jam ipsi erant in Machmas, ut dictum est vers. 5; et ergo ad Machmas, vel referendum est ad statio, non ad transcendentem, q. d. Statio Philistinorum, quæ erat in Machmas, transcendit Machmas ivitque ultra: vel certe in Machmas, id est, ultra Machmas, ut vertunt Septuaginta. Hebraice, egressa est statio Philistinorum ad transitum (Chaldaice, vadum) Machmas; Vatablus, in ulteriorem partem, quæ erat inter Machmas et Gabaa, stationem sive præsidium transulerunt.

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Jonathas solus cum armigero invadit castra Philistinorum: Deus illis terrorem et perturbationem injicit; unde ipsi mutua se cæde trucidant. Audit eorum tumultum Saul, vers. 19, edicitque ne quis usque ad vesperam comedit, donec hostes fugientes persequeatur, et conficiat. Jonathas, edictum ignorans, mel in sylva reperit comedit. Milites defatigati et esurientes, vers. 32, contra legem comedunt carnem cum sanguine. Unde Saul, statuta petra, jubet ut in ea sanguinem effundant. Moc, vers. 36, Saul, nocte irrupturus in castra hostium, consulit Dominum; sed Dominus non respondet. Quare Saul jacit sortem, ut cujus culpa iratus sit Deus, capquirat. Sors denotat Jonatham, vers. 42; ille fatetur se mel comedisse. Quare a patre morti addicitur, sed populus eum liberat. Inde, vers. 47, Saul debellat Ammonitas, Moabitas, Idumæos atque per circuitum hostes. Denique, vers. 49, filii Saul recensentur.

1. Et accidit quadam die ut diceret Jonathas filius Saul ad adolescentem armigerum suum: Veni, et transeamus ad stationem Philistinorum, quæ est trans locum illum. Patri autem suo hoc ipsum non indicavit. 2. Porro Saul morabatur in extrema parte Gabaa, sub mango-granato, quæ erat in Magron; et erat populus cum eo quasi sexcentorum virorum. 3. Et Achias filius Achitob fratris Ichabod filii Phinees, qui ortus fuerat ex Heli sacerdote Domini in Silo, portabat ephod. Sed et populus ignorabat quo isset Jonathas. 4. Erant autem inter ascensus, per quos nitebatur Jonathas transire ad stationem Philistinorum, eminentes petrae ex utraque parte, et quasi in modum dentium scopuli hinc et inde prærupti, nomen unum Boses, et nomen alteri Sene; 5. unus scopulus prominens ad Aquilonem ex adverso Machmas, et alter ad Meridiem contra Gabaa. 6. Dixit autem Jonathas ad adolescentem armigerum suum: Veni, transeamus ad stationem incircumcisorum horum, si forte faciat Dominus pro nobis; quia non est Domino difficile salvare, vel in multis, vel in paucis. 7. Dixitque ei armiger suus: Fac omnia quæ placent animo tuo; perge quo cupis, et ero tecum ubicumque volueris. 8. Et ait Jonathas: Ecce nos transimus ad viros istos. Cumque apparuerimus eis, 9. si taliter locuti fuerint ad nos, manet donec veniamus ad vos: stemus in loco nostro, nec ascendamus ad eos. 10. Si autem dixerint: Ascendite ad nos; ascenamus, quia tradidit eos Dominus in manibus nostris; hoc erit nobis signum. 11. Apparuit igitur uterque stationi Philistinorum; dixeruntque Philistiim: En Hebraei egrediuntur de cavernis in quibus absconditi fuerant. 12. Et locuti sunt viri de statione ad Jonatham et ad armigerum ejus, dixeruntque: Ascendite ad nos, et ostendemus vobis rem. Et ait Jonathas ad armigerum suum:

Ascendamus, sequere me; tradidit enim Dominus eos in manus Israel. 13. Ascendit autem Jonathan manibus et pedibus reptans, et armiger ejus post eum. Itaque alii cadebant ante Jonathan, alios armiger ejus interficiebat sequens eum. 14. Et facta est plaga prima, qua percussit Jonathan et armiger ejus, quasi viginti virorum, in media parte jugeri (!), quam par boum in die arare consuevit. 15. Et factum est miraculum in castris, per agros; sed et omnis populus stationis eorum qui erant ad prædandum, obstupuit, et conturbata est terra, et accidit quasi miraculum a Deo. 16. Et respexerunt speculatores Saul, qui erant in Gabaa Benjamin, et ecce multitudo prostrata, et huc illucque diffugiens. 17. Et ait Saul populo qui erat cum eo: Requireite, et videte quis abierit ex nobis. Cumque requisissent, repertum est non adesse Jonathan, et armigerum ejus. 18. **¶** Ait Saul ad Achiam: Applica arcam Dei (erat enim ibi arca Dei in die illa cum filiis Israel). Cumque loqueretur Saul ad sacerdotem, tumultus magnus exortus est in castris Philistinorum; crescebatque paulatim, et clarus resonabat. Et ait Saul ad sacerdotem: Contrahe manum tuam. 20. Conclamavit ergo Saul, et omnis populus qui erat cum eo, et venerunt usque ad locum certaminis; et ecce versus fuerat gladius unusquisque ad proximum suum, et cades magna nimis. 21. Sed et Hebraei qui fuerant cum Philistiim heri et nudistertius, ascenderantque cum eis in castris, reversi sunt ut essent cum Israel, qui erant cum Saul et Jonatha. 22. Omnes quoque Israelitæ qui se abecoderant in monte Ephraim, audientes quod fugissent Philistæi, sociaverunt se cum suis in prælio. Et erant cum Saul, quasi decem millia virorum. 23. Et salvavit Dominus in die illa Israel. Pugna autem pervenit usque ad Bethaven. 24. Et viri Israel sociati sunt sibi in die illa; adjuravit autem Saul populum, dicens: Maledictus vir, qui comederit panem usque ad vesperam, donec alciscar de inimicis meis. Et non manducavit universus populus panem, 25. omneque terræ vulgus venit in saltum, in quo erat mel super faciem agri. 26. Ingressus est itaque populus saltum, et apparuit fluens mel, nullusque applicuit manum ad os suum. Timebat enim populus juramentum. 27. Porro Jonathan non audierat cum adjuraret pater ejus populum; extenditque summitatem virgæ quam habebat in manu, et intinxit in favum mellis; et convertit manum suam ad os suum, et illuminati sunt oculi ejus. 28. Respondensque unus de populo, ait: Jurejurando constrinxit pater tuus populum, dicens: Maledictus vir, qui comederit panem hodie (defecerat autem populus). 29. Dixitque Jonathan: Turbavit pater meus terram; vidistis ipsi quia illuminati sunt oculi mei, eo quod gustaverim paululum de melle isto: 30. quanto magis, si comedisset populus de præda inimicorum suorum, quem reperit? nonne major plaga facta fuisset in Philistiim? 31. Percusserunt ergo in die illa Philistæos a Machmis usque in Aialon. Defatigatus est autem populus nimis; 32. et versus ad prædam, tulit oves, et boves, et vitulos, et mactaverunt in terra; comeditque populus cum sanguine. 33. Nuntiaverunt autem Sauli dicentes, quod populus peccasset Domino, comedens cum sanguine. Qui ait: Prævaricati estis; volvite ad me jam nunc saxum grande. 34. Et dixit Saul: Dispergimini in vulgus, et dicite eis ut adducat ad me unusquisque bovem suum et arietem, et occidite super istud, et vescimini, et non peccabitis Domino comedentes cum sanguine. Adduxit itaque omnis populus unusquisque bovem in manu sua usque ad noctem; et occiderunt ibi. 35. Edificavit autem Saul altare Domino, tuncque primum cepit edificare altare Domino. 36. Et dixit Saul: Irruamus super Philistæos nocte, et vastemus eos usque dum illucescat mane, nec relinquamus ex eis virum. Dixitque populus: Omne quod bonum videtur in oculis tuis, fac. Et ait sacerdos: Accedamus huc ad Deum. 37. Et consulit Saul Dominum, num persequar Philistiim? si trades eos in manus Israel? Et non respondit ei in die illa. 38. Dixitque Saul: Applicate huc universos angulos populi, et scitote, et videte per quem acciderit peccatum hoc hodie. 39. Vivit Dominus salvator Israel, quia si

(1) Cardinalis Bellarminus censet legendum esse quod, non vero quam.

per Jonathan filium meum factum est, absque retractatione morietur. Ad quod nullus contradixit ei de omni populo. 40. Et ait ad universum Israel: Separamini vos in partem unam, et ego cum Jonatha filio meo ero in parte altera. Responditque populus ad Saul: Quod bonum videtur in oculis tuis, fac. 41. Et dixit Saul ad Dominum Deum Israel: Domine Deus Israel, da indicium; quid est quod non responderis servo tuo hodie? Si in me, aut in Jonatha filio meo est iniquitas hæc, da ostensionem; aut si hæc iniquitas est in populo tuo, da sanctitatem. Et deprehensus est Jonathan et Saul, populus autem exivit. 42. Et ait Saul: Mittite sortem inter me et inter Jonathan filium meum. Et captus est Jonathan. 43. Dixit autem Saul ad Jonathan: Indica mihi quid feceris. Et indicavit ei Jonathan, et ait: Gustans gustavi in summitate virgæ, quæ erat in manu mea, paululum mellis, et ecce ego morior. 44. Et ait Saul: Hæc faciat mihi Deus, et hæc addat, quia morte morieris, Jonatha. 45. Dixitque populus ad Saul: Ergone Jonathan morietur, qui fecit salutem hanc magnam in Israel? hoc nefas est: vivit Dominus, si ceciderit capillus de capite ejus in terram, quia cum Deo operatus est hodie. Liberavit ergo populus Jonathan, ut non moretetur. 46. Recessitque Saul, nec per secutus est Philistiim; porro Philistiim abierunt in loca sua. 47. Et Saul, confirmato regno super Israel, pugnabat per circuitum adversum omnes inimicos ejus contra Moab, et filios Ammon, et Edom, et reges Soba, et Philistæos, et quocumque se verterat, superabat. 48. Congregatque exercitu, percussit Amalec, et eruit Israel de manu vastatorum ejus. 49. Fuerunt autem filii Saul, Jonathan, et Jessui, et Melchisua; et nomina duarum filiarum ejus, nomen primogenita Merob, et nomen minoris Michol. 50. Et nomen uxoris Saul, Achinoam filia Achimas; et nomen principis militiæ ejus Abner, filius Ner, patruelis Saul. 51. Porro Cis fuit pater Saul, et Ner pater Abner, filius Abiel. 52. Erat autem bellum potens adversum Philistæos omnibus diebus Saul. Nam quemcumque viderat Saul virum fortem, et aptum ad prælium, sociabat eum sibi.

Ver. 1.
Jonathan
filii
Israel
foravit
castra
Philis-
tinum.

Mira
ejus for-
titudinis.

1. VEM ET TRANSAMUS AD STATIONEM PHILISTINORUM. — Dixit hoc, et fecit ea quæ sequuntur Jonathan peculiari instinctu Dei, ut patet ex victoria miraculosa quam ab eo obtinuit; alioqui temerarius fuisset, si solus cum uno armigero, invasisset tota hostium castra. Deus ergo illi, ut id faceret, suggestit, animosque illi addidit ac fiduciam victoriæ tam mire consequendæ. Ideoque id Jonathan patri non indicavit, ne is illud impediret. Qui enim a Deo regitur, regis alterius regimine non eget. Ita Theodoretus, Procopius, Abulensis, Cajetanus et alii.

Mira ergo hic celebratur Jonathan fortitudo, qui Deo nixus, tantum periculum solus adiiit, certus aut vincere, aut vinci et pro patria mori gloriose. Unde S. Bernardus, serm. ad Milites templi, cap. I, eos comparat cum Martyribus, ut si vincant, coronentur corona triumphantis; si vincantur, martyrii laurea. «Quam gloriosi, ait, revertuntur victores de prælio, quam beati moriuntur Martyres in prælio!» Et cap. III: «Secum, ait, preliantur, nequaquam metuentes, aut de hostium cæde peccatum, aut de sua necesse periculum. Miles Christi securus interimit, securior interit; sibi præstat, cum interit; Christo, cum interimit. Cum occidit malefactorem, non homicida; sed, ut ita dixerim, malicida reputatur. Cum occidit ipse, non periisse, sed pervenisse cognoscitur. Mors ergo quam irrogat, Christi est lucrum; quam ex-

cepit, suum.» Et cap. IV, eorum armis recensitis: «Imminente bello, ait, fide intus, foris ferro, non auro muniantur; quatenus armati, et non ornati, hostibus motum incutiant, non provocent avaritiam. Equos habere cupiunt fortes et veloces, non coloratos, aut phaleratos; pugnam quippe non pompam, victoriam non gloriam cogitant, et studentes magis esse formidini quam admirationi.»

2. PORRO SAUL MORIATUR IN EXTREMA PARTE GABAA, SUB MALOGRANATO, QUÆ ERAT IN MAGRON. — Ita Hebræus, Chaldeus et alii; sed Septuaginta pro 7 legentes affine 7 vertunt in Magdon. Erat locus hic juxta Gabaa, quæ erat patria et sedes Saulis; cujus meminit et Isaias cap. X, 28: non ergo erat in ipsa urbe Gabaa, sed in agro Gabaa, uti hic legunt Biblia Regia, Glossa, Hugo, Abulensis, Dionysius, Vatablus.

Pro malo granato, Hebræice est Remmon, quod, ut nomen proprium loci, retinet Vatablus: qui alibi vocatur caltis, vel petra Remmon; in quem, ut locum munitionum et tutum, se receperunt sexcenti et clade tribus Benjamin superstitis, et reliqui, Judic. XX, 27, ideoque et Saul ibidem castra locavit. Sic nobilis illa Hispaniæ civitas, regni que caput, dicta est Granata, a malogramorum copia vel figura. Sic hic locus hebræice dicitur Remmon, a malogramorum præsentia et abundantia. Sic Jericho dicta est civitas palmarum ab

earum fertilitate, pluresque alia civitates dicta sunt *Thamar*, id est, *palma*, a palmis quibus abundant. Sic Bethel prius dicta est *Lusa*, a nucibus, *corylis*, et *amygdalis*, *Genes. cap. xxviii, vers. 19.*

Apposuit Saul rex consedit sub malgranato; quia hoc speciem habet regis et regni. Nam, ut advertit Mendoza: *primo*, malgranatum in suo flore eleganter purpuream coronam, in pomo autem purpuram, in granis coronam in vertice ostendit; ut plane videatur regem purpuratum et coronatum representare. *Secundo*, « quia dum multa grana sub uno cortice complectitur: vel significat multitudinem negotiorum et consiliorum, quae a regibus fido silentio occultantur, » ut S. Ambrosius lib. III *Hexam.* cap. xiii, insinuat; « vel significat concentum omnium virtutum, quibus equum est ut regum animi exornentur, » ut S. Hieronymus, lib. I *Contra Iovinianum*, explicat; « vel significat prudentiam gubernatricem, quae reges suos subditos, et moribus et honoribus dissidentes, in officio continent, et in gyrum rationis circumversant, » ut Theodoretus lib. III *in Cont.* indicat; « vel significat animorum charitatem, quam reges suo in regno curare et conservare debent, » ut idem Theodoretus clarius significat. Qua de re multa dixi *Cont.* cap. II, vers. 3.

Tertio, « quia sicut malum granatum pulchrius apparet, cum falsis; nam tunc interna grana, quae sub vili cortice latebant, pyropos imitata expanduntur; ita reges quo majoribus difficultatibus seinduntur ac distrauntur in suorum praesidium ac tutamen populorum, eo clariora praebent omnium oculis suarum spectacula virtutum. »

Quocirca Henricus IV, Hispaniae rex, malgranatum pro insigni regio delegit cum epigrapha: « Accredite, ut significaret in optimo rege ita severitatem et humanitatem temperandas, ut nunquam rex, aut sine severitate ignavus, aut sine humanitate crudelis videretur. Non immerito igitur Saul sub malgranato morabatur, ut ab ipsa arbore admoneretur regiae dignitatis et potestatis, aut sanctitatis quam in rebus arduis difficultibusque temporibus exercere oportebat. »

ET ERAT CUM EO POPULUS, QUASI SEXCENTORUM VIRORUM. — praeter mille qui erant cum Jonathas: nam duo millia quae sibi delegerat Saul, cap. xiii, vers. 2, metu Philistinorum defluerant et fugerant; ita ut cum Saule ex iis tantum remanserint sexcenti, iique viri fortes et constantes, qui proinde licet pauci, tantas tamen victorias contra Philistaeos pluresque obtinuerunt, quanta in sequantur.

Moraliter, discite quantum valeat virtus paucorum generosorum. Sic Gedeon cum trecentis prostravit numerosissima castra Madian. Causam dat Josephus, lib. V *Antiq.* cap. viii, vel juxta aliam editionem x: « Imbellem, inquit, naturam ho-

minum sibi Dominus placere declaravit, ut populus victoriam non sibi, sed Deo deputaret. » Judas Machabeus cum paucis superavit copias Antiochi; David superavit Goliath, omnesque Philistaeos; duodecim Apostoli sua virtute subjugarunt Christo totum orbem; S. Bernardus, S. Dominicus, S. Franciscus, et nuper S. ignavus fundator Societatis Jesu cum paucis sociis, quanta ubique terrarum effecere? virtus ergo non in numero, sed in paucitate generosa consistit. Nam, ut ait Isaias, cap. ix, 3: « Multiplicasti gentem, non magnificasti Ierusalem. » Vide ibi dicta. Tritum est illud: « Virtus unita fortior divisa. » Et illud: « Infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia, » I epist. ad Corinthios I. Et illud: « Virtus Dei in nostra infirmitate perficitur, » II epist. ad Corinthios, cap. xi.

3. ET ACHIAS FILIUS ACHITOB FRATRIS ICHABOD, FILII PHINEES, QUI ORTUS FUERAT EX HELI SACERDOTE (Pontifice) DOMINI IN SILO, PORTABAT EPHOD, — id est, pontificalem amictum quasi Pontifex secum deferbat ad pontificatum fungendum; ut per Urim et Tumim, quae erant in rationali et ephod, pro Saule consuleret Dominum, quid in bello tam arduo et periculo agendum foret. Hinc patet Samuelem non fuisse Pontificem, ut vult S. Hieronymus et alii, sed Achiam: hic enim portabat vestem pontificalem, et recta linea descendebat ab Heli pontifice. Heli enim genuit Phinees, Phinees genuit Achitob et Ichabod, Achitob genuit Achiam, ait Josephus.

Dices: Cap. xxi, versu 9, dicitur Achimelech, filius Achitob, fuisse Pontifex; ergo Achias non fuit Pontifex. Respondeo, Achiam fuisse binomium, et alio nomine dictum « Achimelech, » Achias enim hebraice idem est quod *frater Dei*. *Achimelech* idem, quod *frater Regis*. Deus autem est « Rex regum; » vel certe Achie seniori sine liberis mortuo, in Pontificatu successit Achimelech, qui erat frater Achie junior.

4. ERANT AUTEM INTER ASCENSUS, PER QUOS NITIBATUR JONATHAS TRANSIRE AD STATIONEM PHILISTINORUM, EMITTENTES PETRE, etc. NOMEN UNI BOSIS, ET NOMEN ALTERI SENE. — Chaldeus, *nomen unius iucubatio, et nomen alterius concubatio*. Philistin, ait Josephus, posuerunt castra in rupe praerupta et quasi inaccessa, ideoque in ea securi debebant, neminem metuentes: idcirco Jonathas eos hat via invasit. Sic Alexander Magnus hostes in rupe altissima commorantes, ideoque cum deridentes rogantesque an volare posset, a tergo per saxa invia immittens trecentes juvenes generosos, rupem incisit hostibus occupavit, eosque trucidavit: « En, inquit, ostendi me posse volare. » Et Curtius.

Porro, *Boses* hebraice idem est quod *humescens, vel florens*, vel *oniparus*, ait Pagninus. *Sene* idem est quod *rubus*: quae mystice explicans Beda: « Quia, inquit, non minus florente, quam adversante et pungente mundo, Sanctorum ascensus

impeditur; et ut vel corpore vel corde deficiat, ab infatigabili hoste pulsatur. »

Hoc est quod aiunt Sancti *Psal. lxxv. 12*: « Transivimus pro ignem et aquam, et eduxisti nos in refrigerium. » Nam, ut ait S. Bernardus, serm. *De S. Malachia*: « Transivit pro ignem et aquam, quem nec tristitia frangere, nec delinere mollia poterunt. »

6. DIXIT AUTEM JONATHAS AD ADOLESCENTEM ARMIGERUM SUUM. — Dixit hoc impulsus a Deo, tacite promittente suam opem et victoriam, ut patet ex eventu, et victoria tam mira et felici.

QUA NON EST DOMINO DIFFICILE SALVARE VEL IN MULTIS VEL IN PAUCIS. — Hebraice non est *וַיִּשְׁעַל מַסּוֹר*, id est, *restrictio, detentio, vel prohibitio, q. d.* Nil est quod Deum ardet, delineat, restringat ad paucos vel multos, ut vincant. Nam, ut ait S. Augustinus, serm. 119 *De Tempore*: « Omnipotens est Deus ad facienda majora et minora; omnipotens ad facienda caelestia et terrestria; omnipotens ad facienda immortalia et mortalia; omnipotens ad facienda spiritalia et corporalia; omnipotens ad facienda visibilia et invisibilia; magnus in magnis, nec parvus in minimis. »

Hoc Jonathae exemplum imitatus Judas Machabeus, cum paucis contra plurimos decertans: « Facile, inquit, est concludi multos in manus paucorum; et non est differentia in conspectu Dei celi liberare in multis et in paucis, » I *Machab.* III, 48. Et cap. IV, 30: « Benedictus, inquit, Salvator Israel, qui contrivisti impetum potentis in manu servi tui David; et tradidisti castra alienigenarum, in manu Jonathae filii Saul, et armigeri ejus, » I *Machab.* IV, vers. 30. Idem dixit Asa rex Juda, pugnans contra decies centena millia Aethiopum, II *Paral.* XIV, 41.

7. SI TALITER LOCUTI FUERINT. — Omen hoc captat Jonathas, instinctu et inspiratione Dei, ut patet ex tanta animositate Jonathae potius divina quam humana, et ex tam felici eventu ejus; quare non superstitiosum fuit, nec Dei tentativum, sed religiosum aequae ac animosum, eo quod solus ipse cum armigero praeruptam hostium arcem conscenderit, hostes invaserit, fugarit, occiderit. Ita Lyranus, Hugo, Abulensis, Dionysius, Cajetanus, Serrarius et alii. Vide Sanchez, lib. II *De Superstitione*, cap. x, num. 10, qui et addit cum Serrario et Abulensi Jonatham hunc omni orationem ad Deum praemisisse, in caque a Deo animatum ad hoc audendum. Simile omen de Rebecca, in uxorem Isaac accipiendam, accepit Eliezer, *Genes.* cap. xxiv.

Omini Jonathae simile fuit omen Pazonum, de quo ita scribit Herodotus, initio lib. V: « Pazones, qui sunt a Strymone, admoniti divino responso ut bellum Perinthi inferrent; et siquidem a Perinthiis ex adverso consentibus provocarentur, nominatim compellantibus, eos invaderent, sin minus, ab invadendo absterent. Ita fecerunt et vicierunt. »

12. ASCENDITE AD NOS, ET OSTENDEMUS VOBIS *vers. 12.* REM, — quam vos per praeruptas has rupes scandendo quaerere videmini. Est sarcasmus, sive hostilis irrisio, quasi dicant: Ascendite ad nos, et ostendemus vobis viam non ad vitam et victoriam, quam vos quaeritis, sed ad mortem, hoc est, mactabimus vos. Ita Lyranus, Abulensis, Sallianus et alii. Unde Josephus, lib. VI *Jud. Antiq.* cap. vii: « Venite huc, inquit, daturi penas audaciae. »

ASCENDANTUS. — Apposuit hoc omen Jonathae dedit Deus, quia signum fortitudinis et victoriae est praevenerit et invadere hostem, licet potentiorum, itaque cum metu percellere et fugare, uti fecit hic Jonathas. Sic Moses Josue contra Amalec ituro: « Elige, inquit, viros, et egressus pugna contra Amalec. » Sic Timotheus cum Juda Machabeo dimicaturus suis ita praecipit: « Cum, inquit, appropinquaret Judas, et exercitus ejus ad torrentem aquae; si transierit ad nos prior, non poterimus sustinere eum; quia potens poterit adversum nos; si vero tuerit transire, et posuerit castra extra flumen, transfretum ad eos, et poterimus adversum illum, » I *Machab.* v, 40. Sic Achab, cum paucis invadens ampla castra Benadad regis Syriae, ea fudit, fugavit, prostravit, III *Reg.* xx, 43. Sic experti duces, ut animos ostentent, primi hostem invadunt, itaque cum saepe percellunt et sternunt.

13. ASCENDIT AUTEM JONATHAS MANIBUS ET PEDIBUS REPTANS. — per praerupta rupis saxa. Mystice S. Gregorius: « In manibus, inquit, opera solent significari. Reptans manibus pastor, quando peccatoribus viam non profert sapientia verbi, sed exemplo conversationis. » Et inferius: « Bene, inquit, reptans ascendere ad stationem Philistinorum dicitur, quia ad destruenda vitia pervenire ille doctor potest, qui peccatores magna humilitatis ostensione, et magna charitatis affectione demulcet. »

ITAQUE ALII CADEBANT ANTE JONATHAM, — q. d. Pavore panico a Deo eis injecto, ut patebit versu 13, corruerant ante Jonatham, ut ab eo mactarentur; unde Vatablus, Glossa et alii legunt: *itaque cum vidissent faciem Jonathae* (quasi ea percussis), *alii cadebant ante Jonatham*. Quod accepit videtur ex Septuaginta, qui vertunt, et *videntes Philistinorum contra faciem Jonathae, et percussit in eis*. Sic ergo Jonathas fuit typus Christi, qui solo aspectu percussit et fugavit omnes et vendentes in templo. Nam, ut ait S. Hieronymus in *Math.* cap. ix: « Fulgor ipse et majestas divinitus occulit in humana facie refulcet. » Et in cap. xxi: « Ineunum quiddam et sidereum radiabat ex oculis ejus. »

Quare scitum videtur quod ait Josephus, Jonatham irruisse in Philistaeos dormientes; sic enim scribit lib. VI, cap. vii: « Quam vocem Sauli filius cupide arripuit ut omen victorie, tunc quidem recessit e loco in quo conspecti fue-

rant, sed ex alia parte ad rupem accedentes proper-
simum incustoditam, magno labore, difficultate
loei superati, creperunt ad hostem: aggressive
sopitos, videnti ex his interfecerunt, et eos stu-
pore ac consternatione pleverunt, ut abjectis
armis in fugam se darent. Perique vero non
noscedantes inter se, quod ex multis gentibus con-
flati essent, pro hostibus se invicem invadebant;
et cum non putarent duos tantum Hebreos in
castra penetrasse, mutuo Marte cadebant quidam
in præcipitia, aut ipsi ruebant, aut alii ab aliis
profrudebantur.»

Vers. 14. **14. IN MEDIA PARTE JUGERI, —** hoc est brevis-
simo terræ spatio occidit Jonathas viginti, quasi
dicat: Unitos occidit, non palantes et sparsos:
dicit hoc ut augeat miraculum Dei, et fortitudi-
nem Jonathæ; utpote qui non divisos, ut cæsis
duobus Horatiis, ultimus Horatius fugiens tribus
diversis locis tres Curialios jam fessos occidit,
itaque Albanos Romanis subiecit, teste Livio; sed
unius trucidavit.

Vers. 15. **15. ET FACTUM EST MIRACULUM IN CASTRIS, —** sci-
licet miris et inusitatis terræ motus, indeque
pavor, terror et perturbatio a Deo immissa Phi-
listinis, tam is qui erant in castris, quam is qui
e castris prædatum per tres cuneos exierant
cap. præced. vers. 17 «Miraculum» ergo, hoc est,
miraculosus terræ motus, ac hostium stupor, ut
vertunt Septuaginta, et *conturbatio*, ut Chaldeus,
et pavor, ut Vatablus, et tremor, ut alii. Hoc enim
significat Hebraice **וַיִּתְרַעַד הָאָרֶץ** *charada*, adeo enim ob-
stupescit, pavidi, exæcanti et perturbati fuerunt
Philistini, ut socios estimarent esse hostes, ac
in eos arma converterent, itaque se mutua cæde
trucidarent, ut patet vers. 20. Idem fecere Madia-
nites, elanguentibus buccinis et lagenas flammens
complendentibus trecentis Hebris, Gedeonis mi-
litiibus, *Judic. cap. vii*, vers. 22. Facile enim Deo
fuit perturbare eorum phantasiam, ut amicos
putarent inimicos: sicut naturaliter id fieri vidi-
mus in melancholicis et maniacis; qui per
melancholiam velut atram nubem omnia in-
venientes, putant cuncta esse atra, tetra, inimica
et noxia.

Porro Hebraea ad verbum sic habent: *Et fuit
tremor in castris, in agro, et in toto populo* (Philis-
tinorum); *tum statim, tum qui grassabantur treu-
runt etiam ipsi, et tremuit terra, et fuit in tremore
Ephodim, id est, magnus et validus; quas enim
Dei sunt, magna sunt. Unde cædenti et montes Dei
vocantur altissimi et maximi. Ita Vatablus, Caje-
tanus, Pagninus at alii. Unde cum Romanis leg-
gendum: conturbata est terra, non autem: contur-
bata sunt castra, ut legunt alii.*

Moraliter, discite hic, cum Deus vocat ad ardua,
quæ vires superant, non trepidare, nec subter-
fugere, sed Deo parere, remque animose aggredi:
mox enim Deus aderit, difficultates complanabit,
intricata explicabit, remque omnem facile conficiet,
ut hic Jonathas solo cum armigero castra

hostium integra invadente, illa perturbavit et
occidit per ipsosmet hostes.

Legimus in Vitis Patrum, Angelum cuidam
Anachoretæ ostendisse vastum gigantem, eique
dixisse: cum hoc te luctari oportet. Cumque ille
tremere: «Ne timeas, inquit, incipe ducantur,
ego mox adero, et gigantem tecum prosternam.
Si Deus pro nobis, quis contra nos?» *Rom. xviii.*
«Tonans» enim «juvat conantem.»

18. ET AIT SAUL AD ACHIAM: APPLICA ARCAM *Vers. 18.*
DEI, — hoc est, admove, vel affer huc ad me ar-
cam, ut Hieraticam stolam, ait Josephus et Theo-
doretus, hoc est Ephod, quod positum est juxta
arcam, accipias et induas quasi Pontifex, coque
per Urim et Tummin quæ sunt in Ephod, cor-
ram arca consulas Deum super arcam in propi-
tatorio residentem, ut per te revelet nobis quid
in re tam ancepsit, et in hoc tumultu agere de-
beamus.

Mystice, in periculis Christiani fugiant ad ar-
cam, id est, ad Eucharistiam: item ad B. Virgi-
nem, quæ Christum quasi manna, in arca vir-
tris sui continuit et peperit pro cibo et salute
mundi. Auct. B. Petrum Damianum, *serm. De Vir-
tute Virginitatis*: «Numquid, inquit, quia ita de-
ficata, ideo nostræ humanitatis oblita es? Nequa-
quam, Domina. Scis, in quo discrimine nos reli-
queris, ut jaceant, quantum delinquant servi tui.
Non enim convenit tantæ misericordie tantam
miseriam oblivisci: quia, etsi subtrahit gloria,
revocat natura; neque ita es impassibilis, ut sis
incompossibilis.»

ERAT ENIM IBI ARCA DEI IN DIE ILLA, — quia eo
e Cariathiarim fuit translata, petente Saule et He-
breis, ob belli periculum, ut Deum super arcem
residentem consulere, eumque haberent com-
tem, imo ducem belli.

19. ET AIT SAUL AD SACERDOTEM: CONTRAHE *Vers. 19.*
NUM TUAM, — desine explicare Ephod; imo illud
manu tua contrahe, et repone in arcam. Nam ur-
gente hoc tumultu, non est mihi otium consulere
Dominum; sed illico involandum in hostes. Pu-
tabat enim Saul filium suum Jonatham a Philis-
tinis circumdatum opprimi: unde ad illos accu-
rit, ut eum eriperet. Ita Lyranus, Abulensis, Va-
tallus, licet Chaldeus sic vertit, *affer Ephod, q. d.*
Festina induere Ephod, et consulere Dominum.
Unde et Josephus asserit Deum consultum res-
pondisse, ac promississe Hebraeis victoriam et hos-
tium stragem.

20. ET ECCE VERSUS FUERAT GLADIUS UNUSCUIUSQUE *Vers. 20.*
QUE AD PROXIMUM SUUM, — *q. d.* Exæccati et per-
turbati mutua se cæde trucidarunt, estimantes
socios esse hostes.

ET CEDES MAGNA NIMIS. — Josephus, lib. vi, cap.
vii, ait cæsa sexaginta Philistinorum millia.

**24. ADJURAVIT AUTEM SAUL POPULUM, DICENS: AD VES-
PERAM, DONEC ULCISCAR DE INIMICIS VEIS, —** «pariem»
id est cibum quemlibet; hunc enim Hebraei vocant

panem. Unde Jonathas non panem, sed mel co-
medens, judicatus fuit hoc patris mandatum viola-
lasse.

Porro Saul suis hic hanc legem jejunii indixit,
ex recto fervore et zelo, ut hostes fugientes inse-
queretur: ne si sui milites ad cibos desuissent,
et in mensa desiderant, hostes fuga elaberentur;
atque ut hoc jejuniu, Deo gratias ageret pro vic-
toria tam miraculosa, eumque provocaret ad il-
lam plane pleneque perficiendam: censebat enim
cum Deo tam liberali in se et suos liberaliter esse
agendum. Ita Abulensis, Serarius, Salsanus ac
S. Ambrosius et Hieronymus mox citandi. Atque
hanc legem sanxit cum execratione, dicens: «Ma-
ledictus vir,» *q. d.* Maledicti ipsi Deus, ac ego
maledicam ei, id est panem et occidam eum.

Lyranus vero putat Saulem male id sanxisse et
ultrajurasse, ac pejus implese: eo quod non esset
tanta necessitas hostis insequendi, ac in lege hæc
sua, necessitatis casum excipere debuisset, qualis
fuit in Jonatha, et aliis pluribus præ inedia defi-
cientibus; qui utique majorem hostium stragem
edidissent, si eos prosequendo, simul aliquid cibi
raptim sumpsissent, verbi gratia, mel obvium in
sylva, uti fecit Jonathas, ut valentiores ad gra-
dientium et pugnantium evaderent. Denique, quod
lex hæc dederit occasionem Jonatham occidendi,
et populo sanguinem lege vetitum comedendi,
vers. 37. Favet Lyrano Josephus, S. Gregorius hic
et S. Chrysostomus, *hom. 14 ad Popul.*, et noster
Sanchez, qui hoc præceptum Saulis, ut nimis se-
verum et stultum ducant. Verum esto ferven-
tior fuerit militaris duraque hæc Saulis sanctio,
et aliquid discretionis in ea desideretur: tamen
in se justa sanæque fuit, ob causas jam dictas.
Unde populus totus cum probavit et acceptavit,
quibus adde: si peccasset Saul, debuisset eum
sors vers. 41, indicare, aut certe silere: ibi autem
sors non indicavit Saulem præcipientem, sed Jo-
natham præceptum transgredientem. Unde Sau-
lem dilaudat Tertullianus, lib. *De Jejunio*, cap. x,
ubi, Saulis jejuniu, ait «a Deo præstitam auctori-
tatem.» Ac S. Ambrosius, *serm. 36* (in veteri
editione est 23) *post Dominicam primam Quadra-
gesimæ*: «Bonus plane rex, qui hostes suos non
tam armis quam devotione vincebat; et plus di-
mebant religione, quam telis. Cum ergo Saul
abestantiam diei suis omnibus indixisset, et Jo-
nathas ejus filius præcepti nescius, inter medias
hostium acies victor incedens, favum mellis in-
ducta septri summata gustasset, tanta indigni-
tatis repente commota est, ut et differretur vic-
toria, et Divinitas laderetur.»

Hinc et Jonathas culpam suam fatetur vers. 43:
«Gustavi, ait, paululum mellis, et ecce ego mor-
rior.» Chaldeus, *mortui obnoxius sum*. Et S. Hiero-
nymus, lib. II *Contra Jovin.*, post medium: «In-
Exodo, inquit, adversus Amalec oratione Moysi,
et totius populi, usque ad vesperam jejuniu di-
micatum est. Jesus, filius Nave, stationem impe-

travit soli et lune, et inediam plus quam unius
diei victoris exercitus protelavit. Saul, sicut in
Regum primo libro scribitur: Maledictus, inquit,
qui ederit panem usque ad vesperam, donec ul-
ciscare me de inimicis meis; et non gustavit om-
nis populus ejus, et tota terra predebatur. Tan-
que fuit auctoritas stationis semel Domino desti-
nate, ut Jonathas, qui causa victorie exsultaret,
deprenderetur sorte, et ignorantie crimen de-
clinare non posset, patrique in se concitaret man-
num, et vix populi precibus salvaretur.» *Statio-
nis*, id est jejunii. «Stationes» enim a Tertulliano,
Cassiano et S. Ambrosio vocantur, «stati oratio-
nis et jejunii dies,» quod in eis stantes et com-
morantes inimicos repellimus; et sicut Hebræi
per 40 mansiones, sive stationes pervenerunt in
terram promissam; sic Christiani per 40 dies
Quadagesima perveniunt ad Pascha et resurrec-
tionem Christi. Ita Baronius anno Christi 97, cap.
civ, et Pamelius in Tertulliano, ad finem libri
De Oratione: imo ipse S. Ambrosius, initio *serm.*
36 jam citat.

Moraliter, discite hic jejunium parere victoriam
hostium corporalium, æque ac spiritualium.

Dices: Septuaginta hic addunt: et ignoravit
Saul ignorantiam magnam. Ergo peccavit. Respon-
deo, ignorantiam intelligunt, qua Saul ignorabat
futurum, ut ex hac sanctione Jonathas periculum
capitis adiret, sed ignorantia hæc in Saule fuit
invincibilis et inculpata: unde enim scire poterat
Jonatham comesturum mel?

Hinc apparet Saulem fuisse virum pium, æque
ac fortem, ac Deum ei favisse, dedisseque ei vi-
ctorias, ut omnes per circuitum hostes superaret,
ut dicitur vers. 47. Quare esto Deus cap. præced.
ob non expectatum Samuelem, ejus quasi minus
perfecte obedientis posteros regno privavit, tamen
eum non abiecit, sed direxit et adjuvit, donec
gravius inobedientia crimen, non cedendo plane
pleneque Amalecitas, uti Deus jussert, commi-
tens, a Deo abjectus fuit, ac David in ejus locum
a Samuele in regem unctus, de quo cap. xv et xvi.

25. VULGUS VENIT IN SALTUM, IN QUO ERAT BEL. —
Apes enim sylvestres in sylvis mellificavit, ut
videre est in Polonia et Moscovia, ubi proinde
cum ursis sylvestribus depugnant. Ursi enim melli
inhiant, itaque arbores in quibus sunt favi scan-
dere nituntur; sed apes in naves ursum in-
volantes, aculeisque suis pungentes, eos facile de-
turbant: ursi enim debili sunt capite in naso.

Mystice S. Ambrosius, *serm. 36*: «Nec in absti-
nentia positi, inquit, declinemus ad favum. Favus
enim quedam mundi est voluptas, seu vitia que,
ut scriptum est *Prov. cap. v*, ad tempus quidem
impingunt fauces; sed novissima auctiora sunt
felle.»

NULLUSQUE MANUM AD OS APPLICUIT. TIRERAT ENIM
POPULUS JURAMENTUM, — id est adjurationem et
execrationem regis dicentis: «Maledictus vir qui
comederit.» etc., vers. 21. Mystice S. Gregorius:

Septu-
aginta hic
aliquid ad-
dunt.

Saul vir
pius et
fortis,
hæc
bacte-
nos: ad
post hæc
peccavit
graviter
inobe-
dientia.

Vers. 25.
Apes in
sylva
melli-
ficant.

Mel est
mundi
voluptas.

« Mel, inquit, fuit, quia dulcis fama sanctorum dulciter velociterque currit; sed manus ad os nullus ducit, quia de opere bono dulcedinem laudis non accipit. Manum quidem cum melle ad os applicare, est laudem operis sui gratanter accipere. Decurrit ergo mel; et nemo ad os manum applicat ut sanctorum fama dulciter fluat; et ipsos a quibus defluit, non extollat. Fluit ut alios satiet; sed non sumatur, ne mortem propinet. »

Vers. 27. ET ILLUMINATI SUNT OCULI EIUS, — qui scilicet prius præ inedia, labore et fame, deficientibus spiritibus optis caligabat; jam autem sumpto melle restauratis spiritibus, illuminari, refocillari et reviviscere videbantur, ut fortior et promptior esset, ad hostes insequendum. Hinc jejunantium visus caligat, qui sumpto cibo restauratur. Ita Angelomus, Cajetanus, Vatablus et alii. Aliter Beda, qui illuminatos oculos ait Jonathae, uti fuere aperti oculi Adæ, cum se nudum vidit, et culpam agnovit, *Genes. cap. iii.*

Vers. 28. DEFEGERAT AUTEM POPULUS. — Hebraice et Chaldaice, *defatigatus est*; scilicet labore insequendi, ac inedia, ut deficientibus viribus ægre insequi posset.

Vers. 29. TURBAVIT PATER NEUS TERRAM. — Juvenititer hoc dixit Jonathas; verumque fuisset, nisi mora comedendi impedimento fuisset presentaneæ persecutioni hostium. Ita Abulensis et Cajetanus. Non peccavit ergo Jonathas mel comedendo, quia prohibitionem patris ignorabat; peccavit tamen patris prohibitionem publice reprehendendo, ideoque sors culpæ eum attigit *vers. 41.* Quia etsi indiscreta fuisset hæc sanctio patris, tamen Jonathas erat eam non culpæ, sed potius excusare, ne populus contra suum regem concitaretur, et tumultuaretur: quod in castris summum solet creare periculum.

Vers. 31. DEFATIGATUS EST AUTEM POPULUS NIMIS, — tum ex jejuniis, tum ex labore continuo insequendi et cædendi Philisteos.

Vers. 32. COMEDITQUE POPULUS CUM SANGUINE, — quia præ fame non expectabat, donec sanguis e bobus mactatis efflueret; sed illico mactatorum carnes sanguine conspersas coquebat; imo crudas vel smercidas non tam comedeat, quam vorabat instar luporum, præ fame et aviditate comedendi. Veterat Deus edi sanguinem, ob causas quas recensit *Genes. cap. ix, vers. 4,* et passim in *Leviticis*; sed famis vehementia valde hoc eorum peccatum immittit. Ita Abulensis.

Vers. 33. VOLVITE AD ME NUNC SAXUM GRANDE. — Jussit Saul, ait Abulensis, ut elevaretur magnus lapis super quem occiderentur omnia animalia, a milibus comedenda, ut ex eo pendente capite euscumque jugulati pecoris, sanguis universus statim efflueret: prius autem in terra plana illa jugulabant, ubi sanguis ægre, nec nisi lente tandemque effluere poterat, quod ipsi præ festinatione et fame expectare nequibat. Ita Cajetanus.

Vers. 35. 35. AEDIFICAVIT AUTEM SAUL ALTARE DOMINO, —

tum ut hoc esset quasi monumentum victoriae de Philistinis adeptæ, uti fuit altare a Mose erectum, ob partem de Amalec victoriam, *Exodi cap. xviii, vers. 15*; tum ut in eo offerret hostias pacificas, in gratiarum actionem pro victoria accepta, ac in propitiationem: ut scilicet Deum sibi suisque redderet propitium, ad bella plura quæ superarent simili felicitate conficienda.

TUNCQUE PRIMUM COEPIT AEDIFICARE ALTARE DOMINO. — Dices: Jam ante Saul aedificarat altare *cap. xiii, vers. 9*, cum ante adventum Samuelis in eo sacrificavit, ideoque a Samuele fuit reprehensus. Respondent *primo* S. Hieronymus in *Tradit.*, Angelomus, Glossa, Lyranus et Hugo, hoc primum fuisse altare Deo gratum, quod Saul exivit. Nam illud *cap. xiii*, fuit Deo ingratum, ex culpa inobedientiae. *Secundo*, Abulensis, Cajetanus, Hugo, Lyranus et Sanchez respondent altare illud *cap. xiii, vers. 9*, aliena manu, et opera populi fuisse erectum, hoc proprie jussu et opera Saulis. Nam, ut recte advertit Lyranus, illud in Galgalis diu ante fuit erectum a Gaditis, Rubenitis et Manassensibus tempore Josue *cap. xxii, vers. 40.*

36. ACCEDAMUS HUC AD DEUM, — id est ad arcam Vers. 41. in qua residet Deus, ut eum consulamus, an hæc nocte in castra hostium irruere debeamus. Topologie S. Gregorius: « Ad Dominum, ait, accedere, est ejus voluntatem secreta contemplationis cognoscere. Et bene accessus dicitur, quia ob exterioribus ad interna tendimus, quando operis nostri exitum in divina voluntate cognoscere tentamus. Nam qui voluntate et intima querit et exteriora non deserit, ea quæ nescit adire, non invenit. Quando ergo a nobis de oculis rebus consilium queritur, ad Dominum accedamus, ut tunc demum quod agendum est proponatur, cum in divina voluntate cognoscitur. Multa enim videntur bona esse, et non sunt. Pleraque etiam faciendæ sunt, sed inutilis fiunt, si congruo temporis reserventur. Quædam quoque alii facere debent, alii vero non debent. Quæ nimirum si electus quilibet in secreto meditationis videre negligit, ea utique recto ordine non disponit. »

ET CONSULUIT SAUL DOMINUM, — per Achiam Pontificem indutum Ephod, in quo erant Urim et Tumim; qui nomine Saulis, *Destin* in arca residentem interrogavit, quid hic factu foret opus. « Antiquitus, ait S. Chrysostomus *hom. 14 ad Popul.*, Deus dux erat bellorum, et absque illius sententia nunquam attingere pugnam ausi fuissent, et bellum ipsi pietatis materia fiebat: nec enim ex corporis infirmitate, sed a peccato vincebantur, si quando et vici fuissent; nec potentia et fortitudine, sed superna benevolentia vincebant quodcumque vincebant. » Audiant hoc et imitentur nostri castrorum duces, si obtinere volunt victoriam. Hæc enim proprie datur a Deo, ut alibi ostendi.

ET NON RESPONDIT EI IN DIE ILLA, — tacuit Deus consultus, ut se subiraum ostenderet. At cui et

cur? Respondet S. Chrysostomus *hom. 14* jam citata, Deum Sauli fuisse offensum, ob temeritatem qua melle de jejuniis nimis rigidam et stultam saucerat. S. Gregorius vero germanus ob ejus hypocrisin: « Nam Deus, inquit, in simili cogitationis luce non cernitur, qui semper in claritate virtutis invenitur. » Addit deinde aliam causam: quia Saul « ita volebat Philisteos perimere, ut eorum nullus ultra movere bella potuisset. Magna quidem hæc dies mentis est, qua sic æterna quaeruntur ut temporalis hostis nullus a cæde relinquatur, sed quia nulli conceditur sic temporaliter vincere, ut non debeat omni tempore pugnare, merito dicitur: Non respondit ei Dominus in die illa. »

Abulensis, Cajetanus, Serarius et alii censent Deum tacuisse, ut indicaret jejunium a Saule sanctum, non fuisse a Jonathas servatum. Esto enim Jonathas sanctionem patris ignorasset, ideoque non violasset eam formaliter, sed tantum materialiter, tamen nulli hoc e populo nesciebant, qui potuissent scandalizari: idcirco Deus voluit hoc suo silentio inquiri prodique Jonathan, ut ipse patefaciendo suam legis ignorantiam, se excusaret: ne videretur Deus, vel Saul esse personarum acceptor, ait Abulensis. Addit Cajetanus Deum voluisse Jonathanem, non propter factum, hoc est, violatum jejunium; sed propter defensionem facti sui, quod factum erat impertinens. quæ scilicet patris in lege jejunii sancienda, indiscretionem culpavit, publice hæc nota humiliare, ut deinceps in loquendo de edictis regis esset modestior et cautior.

Vers. 36. Vide hic ut Deus puniat totam Rempublicam ob unius civis peccatum, sicut punivit tota castra Josue, *cap. vi et vii*, ob furtum unius Achan. Unde in orthodoxorum Archimandritarum libello *Syn-tax. Constant.* apud Baronium, tom. VII, anno 536 legitur: « Communicant anathemati habentes in orthodoxorum Archimandritarum libello *Syn-tax. Constant.* apud Baronium, tom. VII, anno 536 legitur: « Communicant anathemati habentes in medio anathema, sicut ostendit nobis antiqua Scriptura in Achan et Jonathan, qui scienter et ignoranter incidere in anathema, » etc. Nam, ut ait S. Ambrosius loco citato: « Unius culpa cunctis confertur ignavia, unius delicto cunctis generatur infirmitas. » Sic S. Gregorius, Angelomus et alii.

Vers. 38. 38. APPLICATE HUC UNIVEROS ANGULOS POPULI. — « Angulus, » id est præfectos vicorum vel platearum: sic Helvetii suos pagos vocant *Cantones*, id est angulos. Nam « quod sunt anguli in domo, hoc sunt principes in populo, ait Vatablus, quia sicut angulus domus, sicut populus principibus innitur. » Igitur sicut Graeci urbis partes, pagos, Latini vios appellant; sic Hebraei angulos vocant: ac sicut a Graecis Præfecti pagorum, *pagis*, nuncupantur; sic et apud Hebræos, qui *angulis*, id est vicis præerant, *Anguli* quoque appellabantur: simile est *Judic. xx, 2.*

Vers. 39. 39. VIVIT DOMINUS SALVATOR ISRAEL: QUIA SI PER JONATHAM FILIUM MEUM FACTUM EST (HO DEI IRATI SI-

lentium) ABSQUE RETRACTATIONE MORIETUR. — Ita Romana, licet S. Gregorius legat: « sine retractione morietur, » Hebraice est, *morte morietur*, id est, certo et infallibiliter morietur. Chaldaice, *occidendo occidetur*, id est sine remissione certo occidetur. Culpæ hoc Saulis juramentum S. Chrysostomus, *hom. 14* citata, ut temerarium et parricidale, ideoque a diabolo suggestum, utpote qui eum in filii tanti tamque innocentis cædem impelleret. « Et pater, inquit, factus est filii caritæ, et ante examinationem damnationis protulit sententiam. » Addit Saulem sua hæc temeraria jejunii sanctione multorum perjuriarum fuisse causam. « Eia igitur, inquit, numeremus commissa perjuria. Temeratum est primum Saulis juramentum a filio; secundum rursus, et tertium ipsius Saulis de filii cæde. Et visus est populus vere jurasse: sed si quis diligenter rem examinet, et hi rursus omnes perjuri criminibus obnoxii facti sunt. Ipsi enim Jonathas patrem pejerare coegerunt, patri filium non dedites: vides quot homines, tum volentes, tum invitos perjurio obnoxios unum fecit juramentum, quot mala molitum est, quot cædes patravit? »

Verum S. Ambrosius, S. Hieronymus, Abulensis, Cajetanus, Sallianus, Serarius et alii hoc juramentum Saulis ut religiosum laudant, et sacrificio Abraham volentis suum filium Isaac immolare comparant. Fuit enim profectum ex magno offensus Dei placandi studio et zelo.

Fuit tamen incautum. Nam *primo*, Jonathas comedens mel contra sanctionem patris, nullam admiserat culpam, quia sanctionem ignorabat. Ergo juste occidi non poterat, utpote immunis a culpa et innocens. Neque silentium Dei arguebat culpam esse in Jonathas, sed alias ob causas, quas recensui, contigit. *Secundo*, etiamsi Jonathas sanctionem patris scivisset, tamen transgressio ejus erat levis et exilis; utpote gustus exigui mellis in gravi vel extrema necessitate famis, itaque sine gravi scandalo: quare ipse hoc gustatu non merebatur mortem. *Tertio*, licet daremus Jonatham mortaliter in hac comestione peccasse, tamen adhuc melius erat peccanti parcere, quam eum ad reum punire et occidere. Erat enim Jonathas miles fortissimus, qui causa victoria parte exstiterat. Erat filius regis, illi in regnum successurus. Erat regia indole et moribus; quare longe utilior et pene necessaria erat ejus vita toti Israël, quam mors ad sancendam disciplinam militarem. Unde juramentum hoc Saulis de occidendo non obligabat, quia vergebat in deteriorum partem, ac in nocuumque damnunque grave totius regni. Quocirca merito populus Sauli regi contradixit, nec permisit Jonatham occidi, illic tandem Saul assensus est.

41. DA SANCTITATEM, — id est revela nobis sanctam veritatem, scilicet culpam esse in certa persona et populo. Pro toto hoc versus Hebræa habent duntaxat: *Domine Deus Israel, da Tuumim*; id est

Fara-
mentum
Saulis.

Insa-
tum.

Vers. 41

per Urim et Tummin, occultum reum nobis indicat. Septuaginta, Complutensia, *da manifestationes*; Chaldaea, *venire fac sortem pro veritate*, id est *fac ut sors cadat super peccatorem*; Vatablus, *da perfectionem*, id est sortem veram et perfectam. Habent tamen Septuaginta, Romani haec omnia, quae habet hic editio vulgata; sed videntur esse congesta ex variis interpretationibus rei ejusdem, ut advertunt Cardinalis Caraffa, Franciscus Lucas in *Notis*, et Serarius hic.

Quæres, cur veritas vocatur «sanctitas»? Respondeo, quia sanctitas, ut ait S. Dionysius, est ipsa puritas. Veritas autem est purissima et sincerissima, ipsaque puritas et sinceritas. Unde de sapientia sive veritate aeterna dicitur, *Sapient. vii, 23*: «Candor est lucis aeternae, et speculum sine macula,» etc.

Secundo, quia futurorum contingentium et arcanorum cognitio (quae hic a Saule quærebatur) adeo sublimis est, ut hominum et Angelorum intellectum transcendat, solique Deo, qui Sanctus Sanctorum est, sit propria. «Annuntiate quæ ventura sunt in futurum; et sciemus quia Dii estis vos,» ait Isaïas, *xli, 23*.

Tertio, quia oraculum veritatis hic a Saule quærebatur a sacra persona; puta a Pontifice sacræ vestibus, in quibus erant *Urim et Tummin*, id est *illuminationes et perfectiones*, sive ut Noster veritatis, *Exod. xxviii, 28*: «Doctrina et veritas,» induto. Veritas ergo hic quærebatur a sanctitate, id est a Deo sanctissimo, per sanctum ejus Pontificem: jure ergo ipsa vocatur *sanctitas*, *q. d.* Da, Domine, *Tummin*, id est per sanctum Pontificem, perque sacrum Ephod et Tummin, da sanctum sanctæ veritatis oraculum.

Quarto, quia veritas auctoris qui crimen commiserat, hic quærebatur, ut Deo offenso per ejus castigationem justamque vindictam satisfaceret; itaque sanctitas Dei, quasi læsa exterius, redintegraretur. Quærebatur enim hic veritas justitiæ, justitiæ autem est sanctitas. Sensus ergo est, *q. d.* «Da sanctitatem,» id est indicat nobis, Domine, reum qui te offendit; ut eum juste castigemus et emendemus, itaque tuæ sanctitati offensa per sanctam vindictam satisfaciamus. Hinc patet indicari reum Superiorem, ut is eum corrigat, esse actum sanctitatis, id est justitiæ et charitatis. Unde in nonnullis Hebræorum sanctitur, ut Religiosi suorum sociorum errata et lapsus ad Superiorem deferant, ut is eos emendet. Hic enim est actus sanctitatis, puta coram fratre, imo patre. Tria enim opera sancta in ea peraguntur: *primo*, satisfit Deo offenso, qui est actus penitentiae et justitiæ vindicativæ; *secundo*, lapsus corrigitur et sanctificatur, qui est actus charitatis; *tertio*, tollitur scandalum, caveturque ne culpa ad alios proserpat, ne scilicet illi vitium, quod a superiore videtur non castigari, sed tolerari, sequatur et imitentur; qui est actus justitiæ pariter et charitatis.

Symbolice, Deus qui est prima summaque sanctitas, est pariter prima summaque veritas. Ac Filius Dei, ex vi sui originis et generationis, est veritas, id est vera notio et intellectus Patris. Unde a S. Joanne sæpe ipse vocatur *veritas*, ut cap. i: «Erat lux vera quae illuminat omnem venientem in hunc mundum.» Et: «Lex per Moysen data est, gratia et veritas per Jesum Christum facta est.»

Ethice, ipsa virtus et sanctitas est ipsa prudentia et veritas practica. Nam quid aliud sunt virtutes nisi lumina veritatis? Hoc enim honestum et sanctum est, quod practice verum est: sive quod conforme est veritati et legi aeternæ, quae est in mente; quodque ipsa recta ratio vero sciendum esse dicitur. Hinc S. Joannes in *Evangelio*, cap. viii, de diabolo ait: «Ille in veritate,» id est sanctitate «non stetit.» Et passim ipse, æque ac S. Paulus, et David in *Psalms* jubet ut faciamus «veritatem,» id est opera virtutis et sanctitatis.

Rursum, quid est veritas, nisi vera fides, spes et charitas? et quid hæc tria sunt, nisi ipsa sanctitas?

Denique Christus ait Pilato se venisse in hunc mundum, ut doceret «veritatem,» scilicet fidei, et morum, id est, veram fidem et sanctitatem, *Matth. xxvii*. Veritas ergo est ipsa sanctitas. Unde qui confitetur veritatem, dicitur Deum sanctificare et glorificare. Sic Josue, cap. vii, vers. 49, dixit Achab: «Da gloriam Deo,» id est confitere tum furtum, Deumque esse veracem, qui te furti reum per sortem significavit; ut ipsi sanctitas, lans et decus veritatis ab omnibus tribuatur.

ET DEPREHENSUS EST (per sortem de qua sequitur) JONATHAS ET SAUL (esse in culpa, dedissee Deo causam silendi et non respondendi): **POPELUS AUTEM EXIVIT**, — liber et immunitus a culpa, *q. d.* Sors non tetigit populum; sed eum quasi insontem præterit: legit autem Saul et Jonatham, ac tandem Jonatham: quia in re esto solus Jonathas ultimo deprehensus sit, et notatus directo; indirecte tamen et Saul notatus est castigatus, in suo dilectissimo Jonathas; taciteque monitus, ut meliora deinceps, utiliora et observatū faciliora edicta ederet; nec suis imperiose dominatur, sed modeste consuleret ut pater: aliqui in his ipsis, quasi suis filiis puniendus et castigandus.

42. ET AIT SAUL: MITTITE SORTEM INTER ME ET JONATHAM. — Nonnulli censent has sortes, upote divinatorias, fuisse superstitiosas et illicitas, quia earum divinatorio expectabatur a dæmone. Unde S. Chrysostomus, *hom. 14 ad Populum*, ait demonem instigasse Saulem ad captandas has sortes, ut is peccatum peccato adderet, ac juramentum male conceptum pejus impleret; atque parricidium Jonathæ mente destinatum reipsa patraret. Verum mitius meliusque censent alii, scilicet Saulem has sortes captas a Deo: nam paulo ante

vers. 41, Deum invocavit, ut sortem dirigeret, ac per eam reum manifestaret. Quare Deus videtur eum movisse ad has sortes capessendas, easque direxisse, ut reum indicarent Jonatham. Hæc enim de causa Deus Sauli, Deum per Pontificem consenti non respondit, ut daretur occasio sortibus, ut per eas Jonathas deprehenderetur. Ita Abulensis, et Serarius et alii. Audi S. Ambrosium, *serm. 36 jam citato*: «Denique nec bello finis imponitur, nec regi responsum prophetium datur. Unde intelligimus quod Saul hostes non tam virtute militum, quam abstinentia superabat. Denique unius culpa cunctis confertur ignavia, et unius delicto omnibus generatur infirmitas. Deficit enim virtus in exercitu, ut deficit in observatione jejunium. Quod ut peccatum Saul ex ipsa divinitatis offensione cognovit, statim Jonathas dixit non esse parcendum, sed peccatum admissum effusione ejus sanguinis expiandum.»

ET CAPTUS EST JONATHAS, — ob causas quas superius recensui. Quibus adde, licet nesciret Jonathas patris legem, scire tamen aliquo modo potuit, cum enim videret tam multos quos secum habebat, nihil omnino, etsi valde famentes et fatigatos obvii mellis gustasse, facile suspicari potuit causam aliquam subesse, quam interrogando facillime intellexisset, vers. 27 et 28. Indicat enim textus ipsius ordo populum ante ipsum ivisse. Ita Serarius. Adjunge, in Jonathæ hic voluisse Deum ostendere, quam subditi Superiorum mandata, licet rigidiore et severiora revereri debeant, nec eis obloqui, uti oblocutus erat Jonathas, sed his humiliter et amose se subdere, ac fortiter illa capessere et exequi. Si quid enim temeritate peccabat Saul, Jonathæ erat non illum traducere apud populum; sed Samuelem certiorum facere, ut eum secreto admoneret et instrueret; sicut in Religiosis, Provincialium et Visitorum est admonere Rectores, si quid in subditos nimia austeritate vel lenitate peccent; cum subditorum sit tacere et obedire, ac dicere cum Psalmista: «Propter te mortificamur tota die.»

Rursum, voluit Deus ostendere quam metuende sint Saulis, id est Superiorum execrationes, et ut Theodoretus ait, «anathemata,» licet leviori de causa irrogata. Ita Theodoretus, Procopius et alii.

43. ET ECCE EGO MORIOR. — Hebraice, *ego moriar*, id est, occidat a patre; Chaldaice, *ecce ego obligatus ad mortem*, *q. d.* Ego gustavi tantillum mellis; summe propterea reus mortis? An pro gutta mellis occidat? Miserabili hæc voce et lamentatione Jonathas populo movit compassionem, ut se morti eriperet. Aliter Jonathæ animum verbaque explicat Josephus, lib. vi *Antiq.* cap. vii, scilicet, Jonatham id dixisse ex constantia et mortis contempta: «Saul, inquit, jurat eum se occisurum; plus quam genus, aut naturam, aut affectus, perjurandum faciens. Ille mortis nimis non terribit, magno ac generoso animo se præbuit. Nihil

inquam, deprecor, pater; libenter enim hæc mortem fero, quæ te religione solvat; dum prius tam magnificam victoriam videre contigit. Maximum enim mihi fuerit solatium, Palestinarum insolentiam ab Hebræis esse perdomitam. His omnis multitudo ad dolorem et miserationem flexa est, jurantque non laturos se ut occidat Jonathas auctor victorie: atque ita eum diris patris eripiant, et vota Deo pro juvene faciunt, ut ipsum immunes a peccato faciat.» Verum solet Josephus suorum Hebræorum gesta dictaque ornare et phalerare, ut ea Vespasiano et Romanis ad pompam ostendet.

44. MORTE MORIENS, JONATHA. — Accusat S. Chrysostomus, *hom. 14 citata*, Saulem, quasi parricidam; excusant Abulensis, Serarius et alii, ut religiosum Abrahæ imitatore, qui filium morti pro justitia et disciplina militari scientiam devoverit; uti Titus Manlius apud Romanos filium injussu suo pugnantem occidit: «Unde ab hoc Manlio, ait Gellius, lib. ix, cap. xii, imperia aspera et immitia, Manliana dicta sunt: quoniam bello postea adversus Latinos, cum esset Consul, filium suum securi percussit, qui speculatum ab eo missus, ne pugnaret interdictus, hostem a quo provocatus fuerat, occidit.» Sed Manlio religiosior fuit Saul, qui Deo offenso filium reum pro victima immolare destinavit. Audi S. Ambrosium, *serm. 36*: «Videte quanta apud Saul regem fuerit religionis observantia, qui offensum Deum optavit etiam parricidio mitigare, et quanta sit devoti culpe jejuniū, quæ non nisi sanguinis effusione puniunt. Etsi ignorans Jonathas indictum a patre jejuniū, quia resolverit, morti addicitur: qui sciens indictum a Christo resolvit, quid meretur? Ergo, fratres, statutum nobis custodiamus omni observatione jejuniū, ut hostes nostros spirituales carnalesque vincamus.»

45. DIXITQUE POPULUS AD SAUL: ERGONE JONATHAS MORIETUR, QUI FECIT SALUTEM HANC MAGNAM IN ISRAEL? — Merito populus Jonatham patris ire et mortis decreto eripuit, ob causas superius recensitas. Erat enim Jonathas robur, æque ac amor populi.

QUIA CUM DEO OPERATUS EST HODIE, — id est, quia per miram Dei opem hodie tantum hostium stragem edidit. Septuaginta, Romana, pro *□□ in*, id est *eum*, alio puncto legentes *am*, id est *populum*, vertunt, *populus Dei fecit diem hunc*. Pro quo Complutensia pro *hæc*, id est *populus*, corrupte legentes *hæc*, id est *miserationis*, vertunt, *quia misericordiam Dei fecit in hac die*. Porro alio defecit Chaldaeus: *quia ante Dominum manifestum est, inquit, quod in ignorantia fecit hodie.*

47. ET SAUL, CONFIRMATO REGNO, SUPER ISRAEL PUGNABAT PER CIRCUTUM ADVERSUS OMNES INIMICOS, etc., ET QUOCUMQUE SE VERTERAT, SUPERABAT. — Vide hic fortitudinem Saulis, et felicitatem illi a Deo datam. Unde patet eum nondum omnino Dei favore et gratia excidisse, etsi posteris ejus Deo regnum jam abstulerat.

Vers. 49. 49. FUERUNT AUTEM FILII SAUL, JONATHAS ET JESUI ET MELCHISUA. — *Jessu*, cap. xxxi, 2, et i Paral. cap. viii, 33, vocatur *Aminadab* (a Josepho, *Jesus*), ubi et additur quartus ejus filius *Esbual*, qui alio nomine dictus est *Isobeseh*, II Reg. ii, 8. Forte is hic omittitur, quia Sauli fuit superstes, cum ceteri tres cum Saule occuberint cap. xxxi.

Vers. 50. 50. ET NOMEN UXORIS SAUL ACHINOAM. — Hec erat primaria uxor et regina. Preter hanc Saul habuit concubinam, id est, secundariam uxorem, nomine *Bespha*, ex qua genuit *Armoni* et *Miphobeseh*, II Reg. xxi.

ABNER FILIUS NER PATRUELS SAUL. — Erat ergo *Cis* pater Saulis, frater *Ner* patris *Abner*; ideoque

Saul elegit *Abner* patruelum suum in principem militiae. Porro *Cis* et *Ner* utpote fratres eundem habebant patrem nomine *Abiel*, ut patet de *Ner* hoc loco; de *Cis* vero cap. i.

32. NAM QUENCUMQUE VIDERAT SAUL VIRUM FORTEM ET APTUM AD PRELIUM, SOCIABAT EUM SIBI. — Idem faciunt magni castrorum duces. Tropologie idem facit *Episcopus* et *Prelatus*. Unde S. Gregorius: « Eligat, ait, doctor milites Christi, eligat fortes, ut, dum carnem fortiter domant, immundos spiritus potenter vincant. Eligat ergo aptos ad prelium, ut, dum inter dona fortitudinis non subibant, triumphi gloria in caelestibus sublimetur. »

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Saul, jussus delere *Amalec*, parciit *Agag* regi et melioribus jumentis: quare a *Samuele* increpatur, et regno privatur. Ille, vers. 20, se excusat, ac tandem frigide ait: Peccavi; ut *Samuel* honorem regnum illi eorum populo defrat. *Samuel*, vers. 32, jubet *Agag* regem in frusta concidi, ac jugiter usque ad mortem laqueat *Saulis* asinum.

1. Et dixit Samuel ad Saul: Me misit Dominus, ut ungerem te in regem super populum ejus Israel; nunc ergo audi vocem Domini. 2. Hec dicit Dominus exercituum: Recensui quicumque fecit *Amalec* Israel, quomodo restitit ei in via cum ascenderet de *Aegypto*. 3. Nunc ergo vade, et percutite *Amalec*, et demolire universa ejus; non parcas ei, et non concupiscas ex rebus ipsius aliquid; sed interfice a viro usque ad mulierem, et parvulum atque lactentem, bovem et ovem, camelum et asinum. 4. Praecipit itaque Saul populo, et recensuit eos quasi agnos; ducenta millia peditum, et decem millia virorum Juda. 5. Cumque venisset Saul usque ad civitatem *Amalec*, tetendit insidias in torrente. 6. Dixitque Saul *Cinæo*: Abite, recedite, atque descendite ab *Amalec*, ne forte involvam te cum eo; tu enim fecisti misericordiam cum omnibus filiis Israel, cum ascenderent de *Aegypto*. Et recessit *Cinæus* de medio *Amalec*. 7. Percussitque Saul *Amalec*, ab *Hevila*, donec venias ad *Sur*, quae est e regione *Aegypti*. 8. Et apprehendit *Agag* regem *Amalec* vivum; omne autem vulgus interfecit in ore gladii. 9. Et pepercit Saul, et populus, *Agag*, et optimis gregibus ovium et armentorum, et vestibus et arietibus, et universis quae pulchra erant, nec voluerunt disperdere ea; quidquid vero vile fuit et reprobum, hoc demoliti sunt. 10. Factum est autem verbum Domini ad Samuel, dicens: 11. Penitet me quod constituerim Saul regem, quia dereliquit me, et verba mea opere non implevit. Contristatusque est Samuel, et clamavit ad Dominum tota nocte. 12. Cumque de nocte surrexisset Samuel, ut iret ad Saul mane, nuntiatum est Samueli, eo quod venisset Saul in *Carmelum*, et erexisset sibi fornicem triumphalem, et reversus mansisset, descendissetque in *Galgala*. Venit ergo Samuel ad Saul, et Saul offerebat holocaustum Domino. In iuitis praedarum quae attulerat ex *Amalec*. 13. Et cum venisset Samuel ad Saul, dixit ei Saul: Benedictus tu Domino, implevi verbum Domini. 14. Dixitque Samuel: Et quae est haec vox gregum, quae resonat in auribus meis, et armentorum, quam ego audio? 15. Et ait Saul: De *Amalec* adduxerunt ea; pepercit enim populus melioribus ovibus et armentis, ut immolarentur Domino Deo tuo; reliqua vero occidimus. 16. Ait autem Samuel ad Saul: Sine me, et indicabo tibi quae locutus sit Dominus ad me de nocte. Dixitque ei:

Loquere. 17. Et ait Samuel: Nonne, cum parvulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es? unxitque te Dominus in regem super Israel, 18. et misit te Dominus in viam, et ait: Vade, et interfice peccatores *Amalec*, et pugnabis contra eos usque ad interuiccionem eorum. 19. Quare ergo non audisti vocem Domini; sed versus ad praedam es, et fecisti malum in oculis Domini? 20. Et ait Saul ad *Samuelem*: Imo audivi vocem Domini, et ambulaui in via per quam misit me Dominus, et adduxi *Agag* regem *Amalec*, et *Amalec* interfeci. 21. Tuli autem de praeda populus oves et boves, primitias eorum quae casa sunt, ut immolet Domino Deo suo in *Galgalis*. 22. Et ait Samuel: Numquid vult Dominus holocausta et victimas, et non potius ut obediat voci Domini? Melior est enim obedientia quam victima, et anseulare magis quam offerre adipem arietum; 23. quoniam quasi peccatum ariolandi est, repugnare, et quasi scelus idololatriae, nolle acquiescere. Pro eo ergo quod abiecasti sermonem Domini, abiecit te Dominus ne sis rex. 24. Dixitque ad *Samuelem*: Peccavi, quia praevaticatus sum sermonem Domini et verba tua, timens populum, et obediens voci eorum. 25. Sed nunc porta, quaso, peccatum meum, et revertere mecum, ut adorem Dominum. 26. Et ait Samuel ad Saul: Non revertar tecum, quia projecisti sermonem Domini, et projecit te Dominus ne sis rex super Israel. 27. Et conversus est Samuel ut abiret; ille autem apprehendit summitatem pallii ejus, quae et scissa est. 28. Et ait ad eum Samuel: Scidit Dominus regnum Israel a te hodie, et tradidit illud proximo tuo meliori te. 29. Porro triumphator in Israel non parcat, et penitentia non flectetur; neque enim homo est ut agat penitentiam. 30. At ille ait: Peccavi; sed nunc honora me coram senioribus populi mei, et coram Israel, et revertere mecum, ut adorem Dominum Deum tuum. 31. Reversus ergo Samuel secutus est Saulem, et adoravit Saul Dominum. 32. Dixitque Samuel: Adducite ad me *Agag* regem *Amalec*. Et oblatum est ei *Agag* pinguissimus, et tremens. Et dixit *Agag*: Sicine separata amara mors? 33. Et ait Samuel: Sicut fecit absque liberis mulieres gladius tuus, sic absque liberis erit inter mulieres mater tua; et in frusta concidit eum Samuel coram Domino in *Galgalis*. 34. Abiit autem Samuel in *Ramatha*: Saul vero ascendit in domum suam in *Gabaa*. 35. Et non vidit Samuel ultra Saul usque ad diem mortis suae; verumtamen legebat Samuel Saulem, quoniam Dominum penitebat quod constituerat eum regem super Israel.

1. DOMINUS MISIT ME (non tam per motum localem, non enim Samuel ivit ad Saulem, sed Saul venit ad *Samuelem*, eum consulturus de asinis, quam per instinctum internum), UT UNGEREM TE IN REGEM. — Causas unctiois superius dedi; quibus adde S. Chrysostomum, hom. 4 in epist. ad *Philip.* in moral.: « Idcirco, ait, sacerdotes, reges et prophetae ungebantur; quia divinae benignitatis symbolum habebat oleum; » quanta autem debeat esse benignitas haec in regibus subjungit dicens: « Si quis principem laudare velit, nihil illi adeo decorum ascribit; atque misericordiam. Principatus enim proprium est misereri. » Et post multa: « Pretiosum, inquit, vir misericors; imo misereri, est Deum esse. »

Porro S. Gregorius: « Rex Saul, ait, demoliri *Amalecitas* praecipitur, ut si mandatum Domini, ejusdem caede gentis, perfecit, prioris inobedientiae nexum enodaret. »

NUNC ERGO AUDI VOCEM DOMINI. — Deus jussuratur delere omnino *Amalec*: primo, *Exodi* xvii, 14; secundo, *Deut.* xxv, 17; tertio hic, ut ostenderet

quam ex animo et omnino id vellet fieri; quocirca gravis fuit culpa Saulis, hoc Dei praecceptum praevaticantis. Unde *Rupertus*, lib. I in *Deut.* cap. iv: « Non igitur mirum, inquit, aut injustum, quod talem ob culpam irrecoverabiliter projectas est Saul, quia praevaticari ausus est quod ex lege semel atque iterum, imo et tertio, tanta cum gravitate praecceptum est. »

Tropologie, rex et rector obediat Deo, suisque Superioribus, si velit sibi a subditis obediri. Inmit *ergo*, q. d. Deus te fecit regem et rectorem: ergo Deo tuo gratus et obediens esto, ac rege juxta ejus voluntatem. Nam, ut ait S. Augustinus Deum alloquens, *Soliloq.* cap. xviii: « Sicut nulla est hora vel punctum in omni vita mea; quo tuo beneficio non utar; sic nullum debet esse momentum, quo te non habeam ante oculos, in mea memoria; et te non diligam ex omni fortitudine mea. » Audi S. Bernardum, *epist.* 42: « Ut secure praesse possitis, subesse et vos, si cui debelis, non dedignemini. Dedignatio quippe subjectionis, praelatione reddit indignum. Videant